Lane Medical Library

DE
EPILEPSIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. AUGUSTI A. MDCCCLVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RICHARDUS SCHIRMER
BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

KRIBBEN, MED. ET CHIR. DR.
HOFFMANN, MED. ET CHIR. DR.
GUENTHER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

NECNON

SODALIBUS AMICISSIMIS

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

Hippocrates iam in libro suo de morbo sacro inscripto symptomata exposuit, quae cum morbo hodie epilepsia nominato consentiunt. Quomodo in vertigine medullam oblongatam et spinalem cerebro tanquam oppressam videmus, ita hoc in morbo cerebri functionibus remotis sublatisque actionem motoriam voluntate non rectam, sed maxima vi liberatam invenimus. Immo coniunctione nervorum cum medulla spinali sublata, exempli causa in extremitatum paralysi, has acerrimis convulsionibus concussas cognoscimus.

Multa experimenta eo consilio facta sunt, ut artificiosa quadam potentia in cerebrum et medullam spinalem ducta paroxysmus epilepticus appareret, sed omnia nullius erant momenti, neque id, quod petitum, assequebantur. Saillant, qui auctore academia litte-

rarum Parisiensi eiusmodi experimenta instituit, iniecto aere in venam iugularem equi paroxysmum cum convulsionibus coniunctum, epilepsiae similem sane effecit, convulsiones autem erant letales. Maioris momenti erant A. Cooperi experimenta, qui carotidibus compressis cerebrum paralyticum reddidit voluntatemque sustulit. Statim convulsiones in conspectum veniebant, quae remota compressione desinebant. Deinde maximus sopor corpore potitus est.

Ad affectiones epilepticas sensu ac notione longius extensa, id est, ad inscios convulsionum paroxysmos intervallis liberis interruptos praeter epilepsiam κατ' ἐξοχὴν eclampsiam referunt. Attamen haec est inter illas differentia, ut epilepsiae intervalla symptomata morbi praebeant, dum in eclampsiae intervallis individuum quovis morbi symptomate liberum est. Praeterea eclampsia uno quodam acuto impulsu pauca habens paroxysmos oritur; epilepsia autem multos per annos, immo per totam vitam ducitur trahiturque.

Nobis hoc loco tantum epilepsia proprie dicta tractanda est, i. e. igitur: paroxysmi convulsionum cum anaesthesia inscientiaque coniuncti, quorum intervalla

morbo respondent, quare ea intervalla neque minoris momenti sunt neque minus observanda quam ipsi paroxysmi.

Ac primum quidem nobis in morbi divisionem intuentibus stadia distinguenda sunt tria, quae plus minusve conformata se exhibent. Ea sunt: stadium prodromorum, stadium paroxysmi et stadium intervalli.

I. STADIUM PRODROMORUM.

Aura epileptica id stadium nominatur, quod quidem nomen minus apte electum est, siquidem prodromus plurimum aliter quam aura surgente se ostendit. Saepissime invenitur aura motoria, quae tota quadam extremitate sive eius parte tremente, se contrahente, coruscante se exhibet. Odier militem quendam gladii ictu in laevum capitis latus ducto epilepsia affectum esse narrat, qui semper ante paroxysmum contracturam primum digiti minimi, tum antibrachii, humeri, musculorum colli dextri lateris habuisset. Paroxysmus autem intrante aura brachio ligamento circumvoluto compressoque inhibitus et victus est. Actionem motoriam aura psychica sequitur. Morositatem, tristitiam, pigritiam quandam, animum non attentum, rarissime summam laetitiam haec aura ostentat. Inter auras sensibiles rarius existere invenimus praesertim nervi et optici

et acustici affectiones. Sane memorabilis est morbus, qui hieme praeterita in clinico Ill. Rombergii mihi prae omnibus colendi magistri obvenit. Nempe aura dolore se manifestans ex nervo faciali ad nervum radialem sive vice versa transibat, eratque aura hoc in casu eodem latere, quo cranii laesio, quae certe erat aetiologicum epilepsiae momentum, unde apertum erat, cerebri desorganisationem non existere.

De auris trophicis, de temperatura, de sanguine se mutante non multum scimus. Ill. Schoenlein narrat, se apud feminam epilepticam e vesicatorio liquorem causticum ante paroxysmum secretum invenisse. Multis in casibus aura omnino deest. Ita in clinico Ill. Rombergii plures epilepsia affectos vidi, qui auram non habere affirmabant. Multos per annos ipse cum cognata mihi quadam puella epileptica una in domo vixi, neque unquam ullum aurae signum animadvertere potui.

II. STADIUM PAROXYSMI SIVE CONVULSIVUM.

In hoc stadio aegrotus initio clamorem, boatum aut mugitum edit, ita ut non solum homines, sed etiam animalia ipsa perterriti sint. Tum cadit semper fere in partem aversam, rarius in latus. Omnes musculi convulsionibus quassantur, palpebrae dimidio clausae, neque quidquam aliud totius bulbi fere cernitur, nisi quod alba sclerotica, pupilla contracta vel dilatata nullam adversus lucis radios reactionem ostendit, maxillae summa vi compressae, tanta quidem vi, ut maxilla inferior nonnunquam luxetur: lingua autem saepe firmiter inter dentes tenetur. Cordis impetus pulsusque frequentissimi sunt, caput retro flectitur, facies lividum accipit colorem, venae iugulares intumescunt; ecchymoses interdum, praecipue in alis nasi et sub palpe-

bris, sudorem copiosum, adeo haemorrhagias observamus. Extremitates contractae sunt, pollex ut in tetano rigide intra digitos tenetur. Nonnunquam musculi involuntarii participes sunt convulsionum, ita ut priapismus, eiaculatio seminis, excrementa urinaque abeuntia non raro in conspectum venirent. Quo in stadio quum omnis conscientia, omnis perceptio deleta sit, aegroti, etiamsi eos pungis, vulneras, immo igne afficis, nihil sentiunt. Boerhaave se vidisse narrat pedem hominis cuiusdam epileptici applicatione ferri candentis usque ad os combustum; attamen aegrotum nullam ostendisse reactionem. Sed sensibilitatem reflexoriam non esse sublatam H. Romberg demonstravit, qui in paroxysmo pennae barbam inter palpebras epileptici cuiusdam immisit eoque effecit, ut magis contraherentur. Simili modo patientes aqua frigida in paroxysmo adspersa palpitant. Descripto hoc modo paroxysmus manet per nonnullas secundas usque ad XV—XX minutas; tum convulsiones aut repente finem assequuntur, aut paullatim desinunt, pulsus fit plenior et tardius se movet et summus sopor cum respiratione stertorosa aegro potitur. Quo somno liberatus de lassitudine quadam mem-

brorum, de animo maxime oppresso, nonnunquam de capitis dolore queritur.

Verum haec paroxysmi phaenomena relata non semper apparent, sed paroxysmi intensitate diversi sunt. Nonnunquam tantum aura invenitur, interdum vertigo, aut significans paroxysmum epilepsiae orientis, aut inter paroxysmos conformatos interposita.

Multi autem maximeque varii sunt gradus inter illam vertiginem a Gallis „petit-mal“ nominatam et summum epilepsiae conformatae paroxysmum. Maxime mutantur symptomata, si cum aliis affectionibus psychicis epilepsia est complicata.. Cuiusmodi memorabilem invenimus casum ab Horn narratum in Archiv für medicin. Erfahr. Jahrg. 1812. Fortges. in Fischer diss. inaug.

III. STADIUM INTERVALLI.

In intervallum intuentibus inprimis nobis observandum videtur, id non minoris esse momenti quam paroxysmos, immo paene dixerim, id esse etiam maioris. Apparet enim, morbum nervorum centra maxime afficere, quare eum quum in totum organismum, tum in functiones psychicas summam amplissimamque vim habere necesse est. Si diutius iam morbus duravit, aegroti facie expressus est. Oculi immobiles, interdum iridis pars palpebra superiori tecta, faciei musculi distracti, marasmus maximaque debilitas se ostendunt. Anima ipsa affecta est, apud nonnullos irritatio systematis nervorum reperitur, id quod ira facile excitanda, cupidinibus, morositate ostentatur, quod in foro quoque magni est momenti. Memoria debilitata est, sensus sexualis irritatus, quare maxime observandi sunt aegroti. Meteorismus acerrimo dolore coniunctus, peritonitidi simi-

lis, ischuria pertinax, catheteri obstans, aphonia denique non raro paroxysmum sequuntur, asthma bronchiale interdum invenitur. Quo diutius epilepsiae morbus ducitur, eo graviora haec signa cognoscuntur; attamen sunt, qui epilepsia diu durante minus patiantur. Iam supra, quum de aura dissererem, casum, cuius observandi diu mihi erat occasio, commemoravi. Puella, septem annos nata, epilepsia affecta per annum paroxysmos vehementes habuit. Tum morbus desiit usque ad annum quartum decimum, quo tempore epilepsia rursus orta est. Hoc tempore puella, viginti sex annos nata, morbo nondum liberata, attamen psyche minus affecta est.

Si iam contemplamur, quomodo epileptici aliis morbis, praecipue acutis tententur, id recte iureque notandum videtur, eos minus affici quam alia individua; sin afficiantur, morbos minus esse periculosos.

Principio epilepsia oriente intervalla longiora, nam saepe menses, interdum anni interpositi sunt; sequentibus temporibus intervalla breviora et frequentiora. Semper fere typus unius est mensis, praecipue apud feminas, quarum paroxysmi interdum menstruationi suc-

cedunt. Iam pridem notum et statistica comparatione compositioneque demonstratum est, lunam amplissimam habere vim ad paroxysmorum originem itemque vigilandi dormiendique status; attamen notandum hic est, tempus per se nullius esse momenti, quum paroxysmi etiam veniant, etsi per diem dormit aegrotus. Multas personas paroxysmus tantum nocte aggreditur, unde morbi sui non sunt consciae. Apud quas interdum morbus in ecchymosibus repertus est.

AETIOLOGIA.

Quod ad aetiologiam epilepsiae attinet, summam sane causarum copiam habemus; verum tamen id confiteamur oportet, naturam epilepsiae ac vim clare et distincte nondum satis esse cognitam multaque viris doctissimis hac in re et experienda et cognoscenda esse.

Primum momentum aetiologicum sine ullo dubio hereditaria dispositio est, et quidem non solum, si parentes epileptici erant, sed etiam, si dementes, epilepticam liberorum praedispositionem invenimus. Boucher et Cazauvielh (de l'épil. considérée dans ses

rapports avec l'aliénation mentale) inter centum decem personas epilepticas apud triginta et unam epilepsiam hereditariam demonstraverunt. Esquirol observavit trecentos viginti epilepticos, qui simul dementes erant, quo ex numero centum quinque dementibus vel epilepticis parentibus geniti erant. Quatuordecim matres epilepticae quinquaginta quinque liberos pepererunt, e quibus triginta septem iam mortui erant, plurimum quatuordecim annos nati, ceteri adhuc infantes, duo vero in convulsionibus, septem iam affecti epilepsia. Interdum evenit, ut generatio una omittatur et morbus ab avis ad nepotes transeat. Immo nutrices epilepticae lacte dato in infantes epilepsiam transtulerunt.

Praeter morbi hereditatem affectiones psychicae animadvertendae sunt. Horror et ira frequentissimae causae sunt, nec minus adspectus paroxysmi cuiusdam epileptici, quae res maximam habent vim inter menstruationem, quae non raro opprimitur.

Onaniam quoque in frequentioribus causis numerare non dubitamus, et iam I. Frank: si enim, ait, terrorem et vermes excipiam, nulla existit epilepsiae frequentior causa quam onania. Praesertim apud plebem

infimam, cuius liberi minus observantur et interdum plures uno in lecto dormiunt, hanc causam invenimus frequentissimam.

Quod ad aetatem hominum attinet, infantes usque ad primam dentitionem raro affectos invenimus. Plerumque morbum post primam dentitionem reperimus. Cazauvielh l. c. comparavit casus sexaginta sex. Erant in iis

usque	ad	annum	V	:	18
„	„	„	X	:	11
„	„	„	XV	:	11
„	„	„	XX	:	10
„	„	„	XXV	:	5
„	„	„	XXX	:	4
„	„	„	XXXV	:	1
„	„	„	XL	:	2
„	„	„	XLV	:	1
„	„	„	L	:	2
„	„	„	LV	:	0
„	„	„	LX	:	1.

Quid denique graviditas ad epilepsiam valeat, non satis constat; attamen de hac re nonnullas observationes memorabiles habemus. Ego ipse occasionem habui

puellam epilecticam videndi, quae sanitatis causa coitum fecit, quod in graviditate paroxysmos epilepticos non haberet. Neque minoris est momenti casus, quem narrat Swieten:

„Quis dabit rationem, quare nobilis femina toto graviditatis tempore epileptica esset, dum marem utero gestaret, minime, si sequioris sexus foetum? Ne autem fortuito casui hoc adscribatur, tres pueros peperit semper epileptica, donec pareret; quinque autem puellas enixa fuit, toto graviditatis tempore ab hoc morbo libera."

Non raro laesiones cranii mechanicas, ut in casu ab Odier observato, aut ossis morbos dyscraticos seu syphiliticos seu rhachiticos causas epilepsiae videmus. Inveniuntur hoc in casu sectione eminentiae quaedam acutae laminae cranii internae, quae duram matrem cerebrumque irritant, sive ossis assulae laesione mechanica in duram matrem pulsae. Huiusmodi aegroti in intervallis sanitate non gaudent, dolorem sentiunt, si manu cranium attingas. Interdum hoc loco presso dolore paroxysmus epilepticus evocatur. Si aura existit, hic peripherica est et quidem in latere contrario.

Ex causis periphericis oriundi casus nonnulli re-

feruntur. Ita Short observationem de neuromate factam narrat et de Haen de neuromatibus duobus nervi phrenici (ratio medendi pag. 127); Hennig in duobus casibus neuromata nervi vagi et cruralis commemoravit. (Analecta litteraria epilepsiam spectantia. Lipsiae 1795. p. 38.) Maisonneuve de cicatricibus in pede vulnere venaesectionis effectis et Larrey (clinique chirurgicale T. I. p. 490) de laeso cutaneo externo apud cubitum retulit. Ipse puellam epilepticam vidi in policlinico Exper. Dr. Vocke praesente, quae plura neuromata in nervis glutaeis habebat, quorum tactio statim paroxysmum epilepticum provocabat. Operatio tentata eventum felicem non habuit, quod paroxysmi orti sunt, quum chloroformio puellam anaestheticam facere medici tentabant. Hosce apud epilepticos auram imprimis observamus et quidem motoriam ac sensibilem, ex loco peripherico aegroto ad cerebrum surgentem. Paroxysmus tamen removetur, si in aurae initio membrum ligamento ab nervorum centris separatur et seiungitur.

Quod attinet ad vim apparatus circulationis in epilepsiam, id notandum est, pluribus in casibus, ubi

causa in eo sita est, anaemiam adesse, quamvis superioribus temporibus ex contrario hyperaemiam esse epilepsiae causam contenderetur. Sane non est infitiandum, plethoram oppressis haemorrhoidibus sive menstruatione effectam interdum epilepsiam sequi; cerebri vero hyperaemia saepius apoplexiam secum fert, veluti in sinistro cordis ventriculo hypertrophiam videmus. Quo morbo convulsiones non opinor epilepticas esse effectas.

Quod attinet ad metastasin, raro epilepsiae causa invenitur, verumtamen oppressis ulceribus chronicis demonstrata est; famosa superiori tempore scabiei metastasis arti criticae committenda est.

Causae, quae ex digestionis apparatu derivandae sunt, primum sunt vermes, praecipue aetate puerili; tum membranae mucosae ventriculi et tractus intestinalis affectiones inflammatoriae, quo in casu epilepsia primum cum molestiis gastricis oritur: dolorem abdominis, calorem quendam assurgentem, eximiam famem, meteorismum, interdum icterum prodromos videmus.

Restat, ut causam afferam, quae memorabilia morbi symptomata efficiat. De plumbi scilicet intoxicatione

adhuc diserendum est. Nullum aliud venenum paroxysmos epilepticos producit nisi plumbum, et praeter epilepsiam propria plumbi intoxicationis symptomata mutationesque pathologicas invenimus.

Epilepsia saturnina eo similis est eclampsiae, quod perinde decursum habet acutum, spatium plurium dierum usque ad plures nundinas sumens.

Si aegrotum inspicis, statim omnia plumbi intoxicationis signa invenies. Cutis cana mollisque, dentes nigri ac mali et gingiva cana, marasmus non rarus. Alia signa, veluti colica saturnina, raro praecedunt. Ceterum haec epilepsiae forma plus minusve cum sensorio affecto iuncta est. Paroxysmi acerrimi et continui sunt, neque delirium sive stupiditas quaedam patienti a paroxysmo liberato plures etiam dies deest. Morbus aut omnino tollitur aut letalis est, et quidem seu apoplexia ingruit seu asphyxia secundum Tanquerel de Planches ex proportione 1 : 4.

Autopsia easdem cerebri mutationes ostendit, quales in plumbi intoxicatione invenimus, nempe hypertrophiam substantiae cerebri; volumine aucto gyri compressi sunt. Tunicae et ventriculi, neque minus sub-

stantia sicca et colore quodam cano impuroque inveniuntur. Plumbum chemica analysi facta demonstratum est.

DIAGNOSIS.

Diagnosis, quamvis saepissime epilepsia simulata sit, ut medico forensi persaepe observandum. non difficillima est. Differentia quoque inter epilepsiam et eclampsiam iam satis constat. Quod pertinet ad hystericas convulsiones, perceptionem hic nunquam omnino deletam, tamen deminutam videmus; neque minus hystericae in paroxysmo contra dolores reactionem ostendunt. Signum omnium optimum in diagnosi est, quod in epilepsia maxillae firmiter compressae sunt linguaque saepe intra eas continetur, quod nunquam in convulsionibus hystericis observatum est. Praeterea affectiones varia in intervallis symptomata nobis praebent: dum in altero morbo auctam et irritatam videmus sensibilitatem, in altero debilitatum invenimus sensorium

Si quaeras, utrum morbus simulatus sit, necne, optime id decernere poteris reactionem pupillae contra lucis radios explorans. Dolore quoque combustione

effecto multos homines fraudulentos cognosces. Sed summa hic sceleratorum atrocitas et constantia animadvertenda est. Praeterea fraudulentus semper idoneum, quo decidere vult, locum eligit, neque unquam cadendo laeditur et vulneratur: pollicem, si extenditur, statim contrahit, quod maxime grave signum morbi putat. In intervallis habitus aegroti animadvertendus, nec minus affectiones psychicae. Dum morbo gloriatur fraudulentus, epilepticum eius pudet. Sunt quoque, qui auram, simulent; at ipsi se produnt falsam aurae viam describentes.

Sauvages narrat: „puella septennis epilepsiam simulabat tam apposite, ut nemo in nosocomio generali dolum suspicaretur. Interrogata, num sentiret auram, ex manu ad humerum, inde ad dorsum et femur, ea annuit: praescripsi usum verberum, quo audito sanata est.“ Perbonum profecto remedium.

Divisio ceterum epilepsiae varia est. Non iniuria veterem accipimus divisionem in epilepsiam idiopathicam et sympathicam, quae quidem nomina Ill. Romberg, ut mutentur in epilepsiam centralem et centripetalem, apte suadet. Omnes reliquas divisiones, quas

plurimas habemus, iam Hippocrates l. c. satis taxavit: „Siquidem, inquit, capram imitentur et balatum edant dextramque in partem convellantur, deorum matrem in causa esse asserunt. Si vero acutiorem et vehementiorem vocem edat aeger, equo simile esse dicunt et ad Neptunum causam referunt. Quod si stercoris aliquid emittat, quod nonnullis morbo pressis contingit, Enodiae Hecates appellatio adhibetur. Sin autem tenuius et crebrius deiiciat, velut aves, Apollo Nomius. Si vero spumam ex ore demittat et pedibus calcitret, Mars auctor est. Pavores vero, qui noctu adsunt, timores, deliria et terriculamenta, quum aegri e cubili exsiliunt et fugiunt, Hecates insidias et heroum invasiones esse affirmant, expiationibusque et incantationibus utuntur, ac meo quidem iudicio, sceleratissimum et maxime impium divinum numen faciunt.“ (Oper. omn. edit. Kuehn. T. I. p. 592.)

PROGNOSIS.

Omnino mala est huius morbi prognosis, sed secundum intensitatem et complicationes varia. Prognosin

pessimam epilepsia cum dementia coniuncta, deinde infantilis ante primam dentitionem nobis dat. Ambae insanabiles sunt. Ceterum, si ad momenta aetiologica animum advertimus, cerebri laesiones, hereditas, terror medico eventum felicem non promittunt; uteri vitia causaeque abdominales facilius curanda sunt. Minus malam prognosin epilepsia ex causis periphericis orta nobis concedit. Operatio saepe sanitatem effecit.

Pereunt patientes raro in paroxysmo apoplexia seu asphyxia, praeter epilepsia saturnina affectos; sed plurimum pulmonum vel intestini tuberculosi. Aneurysmata quoque observata sunt quorum ruptura mors adducta est.

THERAPIA.

Tota materia medica, ut ita dicam, vix remedium ullum praebere poterit, quod non impensum sit contra epilepsiam; attamen therapia omnino parum effecit. Unum omnium remediorum optimum, quod beatus Heim contra epilepsiam vi magna praeditum commendabat, argentum nitricum commemorandum est. Angli magnis

dant dosibus unum usque ad sex grana; melius est incipere a dimidio et paullatim progredi. Ex aliis metallis zincum sulphuricum et cuprum ammoniatum laudatum est, quorum dosis usque ad scrupulum, immo ad drachmam dimidiam adhibetur. Animus etiam attendendus est in therapia, praesertim apud sexum femininum, ad sanguinis qualitatem et quantitatem. Antiphlogosi intensiva minus feliciter utetur medicus, quamquam prioribus temporibus semper fere adhibita est. E contrario anaemia frequentior causa morbi invenitur et contra eam remedia apta adhibenda. Obstructiones aquae frigidae clysmatibus removendae, neque unquam drasticis remediis. In causis periphericis chirurgiae agendum est.

Cauterisatio, intensiva applicatio ferri candentis ad cicatrices atque excisiones neuromatum eventum habuerunt optimum. Nec diligens capitis exploratio omittenda est. Travers de puero quodam narrat, qui cranio laeso epilepsia affectus sit. Trepanando cranii pars, ubi cicatrix erat, elata est assulaque in duram matrem impulsa in conspectum venit. Puer sanatus est. Ex praeparatis vegetabilibus radicem valerianae officinalis

Fabius Columna laudat, quippe qui ea ipse sanatus sit.

Apud individua torpida methodus stimulans, in erethismo uvarum sive lactis cura instituenda est. Praeterea vesicatorium continuum in cervice applicatum vel maxime probandum est. Restat, ut omnes methodos frustra esse dicam, nisi conditiones diaeteticae et psychicae satis dirigantur et ordinentur.

VITA.

Natus sum ego, Richardus Schirmer, Thorunii, provinciae Borussiae oppido, die II. mensis Decembris anni h. s. XXXIII. patre Carolo Guilelmo, matre Friderica e gente Degenkolb, quos parentes carissimos Deus mihi adhuc servavit et perdiu etiam ut servet, precor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis disciplinis a patre imbutus gymnasium adii Thoruniense, quod directore Cel. Lauber, cui animum testificor gratissimum, etiamnunc floret. Anno h. s. LIII. examine maturitatis superato Lipsiam petii ibique a rectore magnifico Ill. Schilling in numerum civium academicorum receptus sum. Per duos annos Lipsiae hisce interfui lectionibus: Ill. Erdmann de chemia experimentali; Ill. Naumann de mineralogia; Ill. Henkel de physice et meteorologia; Ill. Poeppig de zoologia; Exp. Herrmann de logice; Cel. Drobisch de psychologia; Cel. Kneschke de encyclopaedia medica; Ill. Mettenius de botanice; Cel. E. Weber de osteologia, myologia et neurologia; Ill. E. H. Weber de angiologia, splanchnologia, psychologia et anatomia topographica; Ill. Radius de materia medica; Cel. Bock de anatomia pathologica et de arte diagnostica.

Initio triennii academici Berolinum petii, ubi a rectore magnifico Ill. Ehrenberg in numerum civium aca-

demicorum adscriptus apud Ill. Iuengken, medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Per duos annos hasce frequentavi scholas: Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Exp. Gurlt de chirurgia; Exp. Traube de auscultatione et percussione; Exp. Credé de arte obstetricia; Exp. de Baerensprung de morbis cutis. In arte cadavera rite secandi Ill. E. H. Weber et Cel. E. Weber mihi duces fuerunt. Clinicis interfui medicis, chirurgicis, obstetriciis virorum Ill. Cel. Exp. Busch, Iuengken, Langenbeck, Schoenlein, Traube, Romberg.

Quibus viris omnibus gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Iam tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In statu normali albumen in urina nunquam invenitur.
2. Fracturam colli femoris semper abbreviatio extremitatis sequitur.
3. Operatio hydroceles magnae per punctionem et insequentem iniectionem non radicalis est.
4. Vertebrarum morbi semper malam dant prognosin.